

& difficilimis negocijs fuit, suscipit tandem & implet Lutherus, ac crebris disputationibus euincit, fidem Christianam de vita, morte, & salute hominum, non aliunde, nisi ex sacris literis, prophetis & Apostolicis scriptis, & non ex Aristotele, aut alijs scriptoribus vel profanis vel scholasticis, Scoto, Thoma, Alberto, & Sophistis, petendam, docendam, & discendam esse. Atq; hoc primum fundamentum fuit, quod iecit Lutherus, & cui sese sine viribus opposuerunt Fratres & sophistae, rudes & secū i. Et perrexit Lutherus constanter & grauius in illustrando & confirmando doctrinae fundamento, ut meritò esset in omnium admiratione: quamobrem anno 1516. Elector ipsum voluit esse τρωτοκρητῶν, Vicarium & inspectorem cenobiorum omnium Augustiniani ordinis, loco scilicet Staupicy, qui in Belgico aberat colligens reliquias sanctorum ad noui templi structuram in arce Vuitebergica.

Hoc anno Leo Pontifex emittit Indulgentias venales, ad quas vendendas Moguntinus Archiepiscopus, Albertus Brandenburgicus, quem Pontifex isti negociationi in Germania praefecerat, utitur opera & discursatione Iohannis Tezelyi Dominicanus, nati in oppido Pyrna ad Albim in Misnia sito. Is antea deprehensus in adulterio Oeniponti, iussu Maximiliani Imperatoris, supplicio affectus fuisset, nisi Elector Saxonia pro eo
inter-